

gnoscens, et repræsentans, quia sic continet eminenter creaturas, respondetur quod non sufficit ad rationem ideæ continere creaturam quomodocumque, sed tamquam forma inspecta, ad cuius instar formetur ipsa creatura, non autem tamquam cognitio inspiciens, quæ solum continet, et causat active, dirigendo, non ut forma exemplando: hæc autem forma inspecta a Deo non potest esse creatura ipsa, tum quia hæc est ideata, et formata, non ipsa forma, et idea; tum quia Deus non potest repræsentare creaturam per conceptum, et speciem increatam, nisi repræsentando, et attingendo immediate suam essentiam, ut primum objectum, et creaturam, ut aliquid secundarium, et derivatum ab illa, ut contra Vasquez late probatum est præcedenti tomo, disput. xv, artic. iii et disput. xvii, art. ii.

XXIX. Ad secundam confirmationem respondetur, quod quando D. Thomas dicit divinam essentiam non esse ideam, ut essentia est, seu similitudo hujus, vel illius rei, sensus est manifestus quod essentia divina non exercet officium ideæ secundum ipsam essentiam absolute sumptam, sed comparative ad hanc, vel illam creaturam, in quantum continet illam, et est similitudo illius eminentialis. In secundo autem loco docet D. Thomas in Deo esse plures rationes, seu ideas rerum, ut intellectas, quatenus intelligit se intelligere multa per essentiam suam; non quia constituat rationem ideæ in ipso intelligere active sumpto, aut in cognitione reflexa suæ intellectionis, ut sequenti articulo dicitur, sed ad declarandum quod essentia divina non induit rationem ideæ, ex hoc præcise quod habeat rationem speciei repræsentantis plures creaturas, tamquam principium quo cognos-

cendi illas, sed ex eo quod essentia divina cognoscatur ut res quædam continens hanc, vel illam creaturam, et ut principium originativum illius. Ad hoc autem necesse est quod comparetur seu intelligatur ut comparata ad talem, vel talem creaturam. Hoc autem non habet essentia divina per hoc præcise quod sit ratio cognoscendi plura ut quo, sed ex eo quod intelligatur ipsa essentia ut quod comparative ad plures creaturas, quod est ex eo quod intelligit se plura intelligere per essentiam suam ut cognitam et comparatam.

XXX. Ultimo, argui potest argumentis p. Suarez quibus generaliter probat omnem ideam esse conceptum ut active repræsentantem, et concipientem, non vero ipsam rem formatam per conceptum. Sed hæc argumenta non tangunt specialiter ideam divinam, sed procedunt generaliter pro omni idea, et ita præcedenti articulo a nobis soluta sunt.

ARTICULUS III.

Quomodo pluralitas idearum in Deo explicanda sit?

I. Duplex in hac parte difficultas agitari solet. Prima, quomodo cum summa simplicitate divinæ essentiæ stet pluralitas idearum, quæ vere, et proprie plures ideas constituat, non vero solum plures respectus rationis importet in eadem idea.

II. Secunda difficultas est, dato quod ideæ plurificentur, non per plures relationes reales, sed rationis, an illi respectus formentur per intellectum divinum, ita quod etiam ante nostrum intellectum sit in Deo plures ideæ formaliter, an solum fundamentaliter, et per nostrum intelligere formaliter multiplicentur.

III. Circa primam difficultatem dividuntur auctores juxta diversum modum sentiendi circa constitutionem ideæ divinæ, ut articulo præcedenti vidimus. Qui enim dicunt ideas in Deo non esse ipsam divinam essentiam, neque conceptum ejus formalem, sed creaturas ipsas objective cognitatas, ut sensit Scotus, et ex parte Durandus, etiam concedere possunt plures ideas in Deo esse realiter distinctas, quia non sunt aliud quam ipsæmet creaturæ cognitæ, quæ utique realiter distinguuntur. Qui vero constituunt ideas in aliquo increato, sive dicantur esse ipsa essentia divina, ut cognita, sive ut conceptus cognoscens, etiam dividuntur. Quidam enim antecedentes ad ipsam entitatem ideæ, dicunt illam non posse esse nisi unam, non solum ut entitas est, et ut ratio cognoscendi, sed ut formaliter idea est, sicut ars, et sapientia unica est in Deo respectu omnium creaturarum. Pro qua sententia citatur Aureolus in I, distinct. xxxvi, quæst. i, qui absolute docet unam esse ideam in Deo. Durandus autem qui dixit divinam essentiam habere rationem ideæ, respectu earum perfectionum, quæ formaliter inveniuntur in Deo, et derivantur ad creaturas, dixit hanc ideam esse unam in Deo in esse ideæ, licet habeat plures respectus ideales. Et similiter Marsilius in quæstione prima prologi, artic. i, in secunda parte, posuit ideas solum esse plures in Deo objective, non formaliter, quia versatur circa plura objecta. Omittimus Avicennam qui docuit unam tantum ideam esse in Deo, sed erronee, ut videri potest apud D. Thomam quæst. iii de verit. art. ii, quia putavit Deum solum produxisse primam creaturam, seu primam intelligentiam, et de illa formasse ideam, non vero de aliis, quia reli-

quæ creaturæ dicit quod processerunt ab illa prima, non a Deo, cum tamen fides catholica doceat quod Deus est creator omnium tam visibilium, quam invisibilium. Et similiter quidam Clemens philosophus relatus a Divo Dionysio v cap. de divinis nominibus, dixit principaliora entia esse exemplaria inferiorum.

IV. Cæterum D. Thomas in præsentis articulo tertio quem communiter sequuntur alii auctores, tenet ideas formaliter in Deo esse plures, non quidem entitative, (entitas enim Dei absoluta dividi non potest,) sed respective, et secundum officium, et munus ideandi. Non modica tamen difficultas est, quomodo isti respectus sub quibus multiplicentur ideæ, ad ipsam constitutionem, seu formalitatem plurium idearum pertineant. Ad quam explicandam

V. Dico primo: Idea in Deo non sunt plures realiter, et entitative; sunt tamen formaliter plures in officio, et munere ideandi, et ita absolute, et simpliciter debent dici plures ideæ in Deo; sicut etiam persona Christi absolute, et simpliciter dicitur composita, non entitative, sed in officio terminandi, et personandi plures naturas; et sic idea licet entitative sit una in Deo, tamen in ratione, et officio ideæ non est simplex, sed multiplex.

VI. Prima pars asseritur a D. Thomas in præsentis articulo tertio, ubi docet quod multiplicitas idearum non obstat simplicitati divinæ: et supposita sententia præcedenti articulo a nobis probata, quod idea in Deo sit ipsa essentia divina ut cognita comparative ad creaturam, nullo modo potest in dubium revocari. Et probatio est manifesta, quia in Deo nulla est distinctio realis, et entitativa, nisi ubi intervenit relationis personalis oppositio, quia solum tres Personas divinas realiter

in Deo distinctas fides catholica confitetur; sed ideæ non pertinent in Deo ad relationes personales, et ad notionalia, sed ad absoluta: ergo non distinguuntur realiter. Consequentia est legitima. Major est commune axioma theologorum: si enim præter personales relationes multiplicaretur aliquid in divinis, ipsum esse divinum, et essentia absoluta divideretur, essentque plures dii. Minor vero constat, quia ideæ non sunt personæ, neque relationes personales inter se oppositæ, cum una idea non procedat ab alia per realem originem: pertinent etiam ideæ ad omnes tres Personas, cum ad omnes pertineat creare, et gubernare mundum: ergo ideæ pertinent ad prædicata absoluta in Deo, non ad notionalia.

VII. Secunda pars conclusionis sumitur imprimis ex modo loquendi ss. patrum, quem maxime debet æmulari theologia. Et imprimis S. Dionysius in v cap. de divinis nominibus, plures ideas in Deo ponit cum dicit: « Dari in Deo exemplaria rerum quas theologia prædefinitiones vocat, et veras, et bonas voluntates. » Similiter S. Augustinus, lib. LXXXIII quæstionum, quæstione XLVI, dicit quod: « Ideæ sunt principales rerum formæ, quæ divina intelligentia continentur. » Et iterum addit: « Restat ut omnia ratione sint condita, neque eadem ratione homo, qua equus. » Et in epist. cxv inquit quod: « Sicut inconveniens est dicere quod eadem sit ratio anguli, et quadrati, ita conveniens est dicere quod eadem sit ratio in Deo hominis, et hujus hominis. » Secundo, probatur ex illo ad Hebr. xi: *Fide intelligimus aptata esse sæcula Verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent*: sed aptare sæcula per Verbum, est facere per ideam, quia Deus per ideam producit, et aptat creaturas, ex quibus sæculum constat: ergo istæ

in ratione, et officio ideandi plures sunt in Deo, quia illa invisibilia, ex quibus dicit Apostolus fieri visibilia, non sunt aliud quam ideæ, seu formæ, quibus Deus disponit, et facit creaturas.

VIII. Denique, probatur ratione, quia maxime pertinet ad officium, et formalitatem ideæ, quod format unumquodque ideatum juxta modum proprium suum, et secundum quod unum discernitur ab alio: nam et in mente artificis esset confusio velle eodem modo ideare, et formare lectum vel cathedram, navem vel domum; sed maxime pertinet ad artificis peritiam unicuique servare distinctionem suam, et tribuere suam propriam rationem distinctam ab aliis: ergo cum proprium munus ideæ sit distinguere unum ideatum ab alio, seu formare illud secundum suam propriam rationem, et secundum id quod sibi debetur, ei autem debetur id in quo discernitur ab alio; oportet quod vel unumquodque ideatum habeat suam ideam distinctam, si sit adæquata, et limitata ad suum ideatum, vel si idea sit ita eminens, et perfecta quod unica existens, pluribus ideatis sufficiat, et æquivalet, non tamen sub eadem proportionem debeat applicari, et correspondere cuilibet ideato, quia non eodem modo participatur ab illis, quod est fungi officio plurimum idearum, et sic est multiplex idea, quantum ad officium, et formalitatem ideandi, licet entitative sit unicus conceptus. Itaque cum idea sit forma inhærens intellectui, et quoad hoc forma intrinseca ipsius, respiciens autem et regulans res ad extra, et sic intrinsece formans illas, et quoad hoc est forma extrinseca, licet, in quantum identificatur in Deo cum ipso intellectu, non sit minus una, quam intellectus ipse, quod est entitative esse unam formam, tamen ut est forma

extrinseca rei ideatæ, necessario debet distinguere in ratione formæ sic regulantis, et ideantis extrinsece, sicut res ipsæ ab illa ideatæ plurificantur, et distinguuntur inter se. Ratio est, quia cum proprium munus formæ sit actuare, et distinguere id quod informat, eo quod actus est qui distinguit, non potest aliqua forma esse unica in ratione, et officio formæ, si effectus ejus formalis, et res formata est multiplex, quia forma, et effectus formalis perpetuo sibi correspondent, et proportionantur: sicut autem in idea divina id quod entitative formatur ab illa intrinsece, seu potius cum quo identificatur intrinsece, est unicum, et non plurificatum, scilicet intellectus divinus, et ita ipsa idea entitative sumpta, et in ratione formæ intrinsece, unica est, et non multiplex; ita cum id quod est formatum et ideatum ab illa sit multiplex, scilicet tam multæ creaturæ, sic est multiplex effectus ejus formalis extrinsecus, quatenus plures res reduntur formatæ ab ideis, et consequenter ipsa idea in ratione formæ extrinsecæ multiplex esse debet, quia effectus ejus formales plures sunt: forma autem, ut forma, multiplicatur secundum multiplicationem effectuum formalium, quia effectus formalis non est aliud quam forma communicata.

IX. Objicies: Licet forma informans per unionem non distinguatur entitative ab effectu suo formali, quia effectus formalis est forma communicata, tamen forma extrinseca non est cur non distinguatur ab effectu formali, quia cum ipsa non communicetur subjecto, non consistit ejus effectus formalis in ipsa forma ut communicata, sed in aliquo alio præter ipsam: ergo ibi distinguatur effectus ejus formalis a forma, et sic ruit tota probatio facta.

Confirmatur, quia ideo est forma per modum regulæ, et mensuræ ad quam reducitur ideatum, ut formatum per illam: sed mensura, et regula unica existens, mensurat plura, sicut unica ulna mensurat plures pannos, et æternitas in Deo sine sui multiplicatione mensurat omnia tempora, nec dicuntur istæ mensuræ multiplicari etiam in ratione mensuræ, seu formæ extrinsecæ: ergo similiter neque idea.

X. Respondetur argumentum convincere, quod forma extrinseca debet entitative distinguere a suo effectu formali, alias extrinseca forma non esset, si extra effectum ipsum, et rem a se formatam non maneret. Et hac ratione idea entitative distinguatur ab ideato. Cæterum in officio, et proportionem formæ multiplicari debet idea, et distinguere juxta multiplicationem effectuum formalium extrinsecorum, licet id sua entitate, in qua semper distinguatur ab effectu formali, una sit. Et hoc ideo quia forma, sive intrinseca, sive extrinseca debet præbere speciem, et distinctionem formalem, et specificam ipsi rei quam format, species autem adæquatur ipsi specificato, ita quod extra illud non invenitur, sed illi adæquari, et quadrari debet: ergo id quod exercet munus, et officium formæ dantis talem speciem etiam formaliter proportionari, et adæquari debet cum re specificata; et si plures specificationes præbet plurimum formarum munera gerit, sive in sua entitate sit una sive non, sive distinguatur entitative a suo effectu formali sive non: in hoc enim non facimus vim, sed in eo quod secundum respectum, et officium formæ debet multiplicari, si specificationes, quæ sunt effectus formales ejus multiplicantur; sicut etiam objectum quod est unum materialiter, et entitative, si fundet diversas rationes formales specificati-

vas, est multiplex objectum formaliter.

XI. Ad confirmationem respondetur quod est duplex genus mensuræ: quædam est mensura quantitatis, quæ ordinatur ad tollendam confusionem, ex multiplicitate, seu accumulatione mensuratorum orta; reducendo illam ad majorem uniformitatem, seu unitatem, quia hæc minus confusionis habet, et sic magis potest manifestare intellectui confusionem ortam ex multiplicitate quantitatis. Et in tali mensura repugnat quod fiat multiplicatio ipsius mensuræ ad multiplicationem mensuratorum, cum potius mensuratio fiat per reductionem illius multiplicatis ad uniformitatem, et unitatem mensuræ. Et hoc modo procedunt exempla allata in argumento, sicut ulna respectu panni, et æternitas respectu temporum, quia istæ mensuræ, et aliæ similes solum sunt mensuræ ad manifestandum confusionem rei mensuratæ, non ad specificandum illam. Alia mensura est perfectionis, seu per modum specificationis, et informationis, quæ pertinet ad mensuram perfectionis, non quantitatis. Et hæc cum mensuret specificando, et formando, seu perficiendo ipsum mensuratum, non autem confusionem quantitatis ejus manifestando, oportet quod proportionetur, et adæquetur ipsi mensurato, distinguendo per sui formationem, et discernendo ipsum ab aliis; et sic diverso modo formando unum, quam aliud. Et hoc modo dicitur idea mensura ideati, scilicet tamquam mensura perfectionis, non quantitatis, quæ ipsum ideatum specificat, et mensurat, formando illud per imitationem sui, non per informationem intrinsicam. Et talis mensura specificationis debet multiplicari juxta effectus formales, quos ponit in mensurato, non autem mensura

manifestationis, seu quantitatis.

XII. Ex quibus deducitur quam subtiliter D. Thomas in hoc articulo secundo probaverit multipliciter idearum, eo quod Deus est causa distinctionis, et ordinis in universo: ordo autem non potest intendi, nisi distinctio in rebus intendatur, neque distinctio potest intendi, nisi propriæ, et distinctæ rationes de ipsis rebus habeantur: quod est concludere distinctas, seu plures rationes, quæ sunt formæ ideales per intentionem, seu inspectionem sui causantes, non quidem plures entitative, sed respectivæ: scilicet quantum ad officium, et munus ideandi.

XIII. Dico secundo: Pluralitas ista idearum in Deo sumitur secundum respectus rationis, qui non fundantur ipsa pluralitate idearum, sed in ipsa divina essentia, ut est principium, et ratio diversitatis in creaturis. Quod pluralitas idearum sit respectiva secundum respectus rationis, ex præcedenti conclusione deducitur, quia non est pluralitas entitativa secundum entitatem absolutam Dei: hæc enim in Deo plurificari non potest: ergo debet esse pluralitas respectiva; et non secundum respectum realem, qui in ipso Deo sit, quia non dantur in Deo aliæ relationes reales, quam personales, quæ fundantur in origine, et processione reali intra Deum: ideæ autem non sunt relationes personales inter se oppositæ, sed sunt communes omnibus Personis: ergo debet earum pluralitas sumi secundum respectus rationis, non idearum inter se, quia una idea non procedit nec opponitur relative alteri, sed respicit ipsa ideata, per ordinem ad quæ idearum distinctio debet intelligi. Respectus autem Dei ad creaturas semper est rationis.

XIV. Quoad secundam vero partem conclusionis, quod isti respec-

tus rationis non debeat fundari in ipsa pluralitate rerum, quæ causata et ideata est, sed in ipsa divina essentia, ut est principium, et causa istius pluralitatis rerum, sumitur ex D. Thoma in I, dist. xxxvi, q. II, art. II ad III, ubi inquit quod: « Quamvis pluralitas idearum attendatur secundum respectum ad res, non tamen pluralitas rerum est causa pluralitatis idearum, sed contrario, non enim quia res diversimode imitantur divinam essentiam, ideo intellectus ejus intuetur eam diversimode imitabilem, sed potius contrario: intellectus enim divinus est causa rerum, distinctio autem idealium rationum est secundum operationem divini intellectus, prout intelligit essentiam suam diversimode imitabilem a creaturis. » Ergo secundum D. Thomam pluralitas istorum respectuum non fundatur in ipsa pluralitate creaturarum. Ratio autem est, quia si fundaretur in illis, causaretur et oriretur ab illis, res autem illæ, etiam in quantum plures, sunt ideæ, et causatæ per plures ideas, et non per unam tantum: ergo jam supponunt pluralitatem idearum, non illam fundant, et causant, et ita pluralitas causata et ideata non solum supponit unitatem idearum, sed pluralitatem, quia non causantur illa plura nisi per diversas ideas, et non per eandem rationem unum, per quam aliud: ergo si pluralitas idearum est respectiva secundum respectus rationis, non possunt tales respectus fundari in ipsa pluralitate rerum, sed antecederent ad ipsas res creatas. Et confirmatur, quia res creatæ ut plures sunt, et multiplicatæ, sunt terminus illorum respectuum idealium quibus ideæ distinguuntur: ergo non sunt fundamentum, et causa illorum. Consequentia patet, quia terminus, et fundamentum relationis non possunt esse idem, alias re-

latio esset ejusdem ad se. Antecedens autem est certum, quia res creatæ, etiam ut sunt plures, et distinctæ, sunt formatæ, et ideatæ a Deo: ergo sunt terminus formationis ejus: ergo et habitudinis, seu relationis ideæ sic formantis: constat enim quod habitudo ideæ est habitudo formæ ad suum formatum, et ideatum: ergo terminus istius habitudinis ideæ est res formata, et ideata per ipsam, ergo pluralitas rei formatæ est terminus habitudinis formæ, seu ideæ, non potest esse fundamentum ipsius respectus, quo multiplicatur idea respiciendo ideatum.

XV. Ultima pars conclusionis, quod scilicet isti respectus fundentur in ipsa divina essentia cognita ut principium diversitatis creaturarum, sumitur ex D. Thoma in præsentis articulo II ad II, ubi inquit quod: « Deus uno intellectu intelligit multa, et non solum secundum quod in seipsis sunt, sed etiam secundum quod in intellectu sunt, quod est intelligere plures rationes rerum. » Et infra: « Deus autem non solum intelligit multas res per essentiam suam, (id est, in esse entitativo, quæ sunt extra Deum) sed etiam intelligit se intelligere multa per essentiam suam, sed hoc est intelligere plures rationes rerum, vel plures ideas esse in intellectu ejus, ut intellectas. » De eodem videri potest q. III de verit. art. II, in corpore et ad VI et in I contra gent. cap. LIV, circa finem, ubi docet quod: « Oportet in intellectu divino distinctionem quamdam, et pluralitatem rationum intellectarum considerare, secundum quod id quod est in intellectu divino est propria ratio diversorum. » Igitur secundum D. Thomam pluralitas idearum non sumitur ex essentia divina: ut est ratio cognoscendi ipsas creaturas, sive sit ratio ut species, et repræsentatio, sic enim per unicam speciem, et